



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 26. Primogenitus Hunniadis filius capite truncatus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

rimunt. Ecquidem Rex Hungariæ facti se præfente perpetrati temeritate graviter commotus erat, nihilominus justæ indignationi suæ imperandum censuit, seditionis futuræ periculum veritus, quini- mo Paricidis criminis veniam polliceri, ac gratiæ, suæque benevolentiae participes reddere compulsus est: Verum simulata fuit promissa hæc Regis gratia; quippe clam opportunas quæfivit occasiones, quibus depulso rebellionis metu dignas a reis pœnas pofcere valeret.

Sæcul. XV.
A. C. 1457.

§. XXVI.

Primogenitus Huniadis Filius capite truncatus.

Sane paulo post Regis consilium occasio e re nata adjuvit, qua ipse utendum ratus, Anno Christi millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo, cum ver- num jejunium ad medium vergeret, Budæ existens Ladislaum Ulrici interfectorem, ejusdemque Fratrem Matthiam, & alios nonnullos intra regiam captos carceri mancipari, ac triduo elapso Ladislaum capite damnatum, in feriali pegmate publice plecti jussit. Juvenis iste vix viginti quatuor annorum Princeps mira intrepidi animi constantia vestem auro intextam, quam Rex ei dono dederat, induit, atque ad supplicii locum perexit, quo

Æn. Sylv.
ibid.

Bonfin. l. 8.
§ 9. sect. 3.

Sæcul. XV.
A.C. 1457.

quo cum pervenisset, & cervix amputanda esset, huc & illuc conversis ad populum oculis, ipsus crines suos super humeros admodum prolixè defluentes collegit, revinxitque, demum firmo fortique animo sese in genua demisit, ac pauca ad suam defensionem locutus, absque omni turbatæ mentis indicio collum dedit carnifici. Hic autem, vel funestam, qua Principi ætate adeo Juveni ac forma tam insigni mox sub lictoris manu occumbendum erat, miseratus sortem, vel metu correptus jam tertium nullo lethali vulnere inflicto ictum repetiit. Referrunt Historici, Principem accepto tertio vulnere sese impavido animo erexisse, Deum, justitiamque innocentiaë testem invocasse, ac non ultra se a carnifice petendum exclamasse, quarto ictu ex lege interdicto; a Deo enim hoc miraculum ajebat permissum, ut universo Orbi sua patefieret innocentia. Nihilominus nonnulli Proceres funesto huic spectaculo unacum Rege præsentès, acriter objurgato carnifice eidem præceperunt: mortis sententiam exequeretur, ac reo amputaret caput, quod nonnisi quintum post ictum corpore avulsum cecidit. Illius cadaver nigro panno mox contextum primum ad Ecclesiam S. Magdalenaë, inde vero ad locum, ubi Regum pro-ditores sepeliri consueverant, defertur.

Bonfin. ibid.

Alf

Ast Patruus ejus defuncto Rege illius ossa Sæcul. XV.
 hoc loco exhumari, ac debito funeris ho- A.C. 1457.
 nore Albæ in Transilvania in sepulchro
 Majorum suorum condi præcepit.

§. XXVII.

*Matthias alter Huniadis Filius cu-
 stodiæ datus.*

Ceterum Matthias ejusdem Frater ob Spond. Con-
 ætatis imbecillitatem obtenta vitæ tin. annal.
 gratia captivus Pragam mittitur, Podie- hoc ann. 1457
 bracii Bohemiæ Rectoris custodiæ com- n. 1.
 missus. Nihilominus Spondanus refert,
 quod Rex Hungariæ Viennam Austriæ
 repetens, Matthiam secum abduxerit, ac
 sub firma custodia tenuerit.

§. XXVIII.

*Suppetiæ ab Arragonum Rege Hun-
 garis denegatæ.*

Sub idem tempus allatæ sunt literæ ex
 Hungaria ad Callistum Pontificem,
 quibus referebatur, Mahometem II. cum
 Sultano Ægypti, Caramano Ciliciæ, &
 Tartaris foedus inlisse, coactisque ingen-
 tibus copiis rursus iter accelerare, ut
 Albam Græcam, seu Belgradum obsideret.
 Mahometes enim, etsi durante obsidionis
 tempore potissimam Asiæ partem sibi ere-
 ptam percepturus foret, nihilominus ju-
 rejurando se obstrinxerat, nunquam se

Hist. Eccles. Tom. XXVIII. li retro